

ΕΜΜΑΝΟΥΕΛΙ ΒΕΡΝΑΡΔΟ ΡΙΒΕΡΑ, ΟΡΔΙΝΙΣ ΣΑΝΚΤΙΣ.

Trinit. in Salmant. Academiâ τῶν τῆς Χριστιανικῆς ἡθικῆς δογμάτων Scho-
lae Praefecto Thomas Maria Mamachus, Ord. Praed. Theologus Ca-
sanatensis S. P. D.

ETSI jam diu intellexeram, quantâ apud omnes ob singularem doctri-
nam tuam, in existimatione, quantâque in celebritate nominis ver-
sarere, ardebamque cupiditate incredibili significandae, atque declarandae
tibi voluntatis, & observantiae erga te meae; tamen ne id facerem, deter-
ruit pudor quidam paene subrusticus ex eâ, non persuasione quidem, sed du-
bitatione ortus, qua verebar fore, ut si ad te scripsissem, aut arrogans for-
tasse cuiquam, aut importunus tibi, atque incommodus viderer. Sed cum
nunciatum mihi a Faura fuerit Hispano Theologo, collega & amico meo, so-
dalem quendam tuum, hominem & frugi, & liberalem brevè esse iter in Hispa-
niam instituturum, vixque ullum deinceps futurum esse, cui tam tutò scriptae ad
te litterae committi possint; vici ipse me, decrevique hoc ad te exarare litte-
rularum, quae, si quia ab homine isthic obscuro, atque ignoto datae ad
te sunt, aut quia te a gravissimis, optimisque studiis parumper avocabunt,
minùs fortè cuiquam probabuntur, tibi tamen spero, non ingratas fore, ut
quae profectae ex animo sint studiosissimo, cupidissimoque tui. Nam sic ha-
beto: te, etsi de facie haud noverim, virtutis tamen, & sapientiae, qua
praestas, causâ tanti pendi a me, tantique aestimari, dicam etiam diligi; ti-
bi ut recipiam, atque confirmem, quo quidem rebus tuis, aeternitatieque tua-
rum laudum satisfaciam, nihil esse me unquam diligentiae, laboris, operae
praetermissurum. Quae sanè promissa ubi perfecero, (perficiam autem, si
pòtero, cumulatè) arbitrabor, ei me, non quem colerem solum, observarem,
diligere; sed cui etiam plurimum deberem, satisfecisse.

Qui enim Thomae Aquinatis dogmata ità retinet, ut ea oppugnari a
quoquam non patiatur, huic me profiteor debere, ut dixi, plurimum. De-
fensa autem abs te Thomisticorum dogmatum causa tam graviter, tam
strenuè, tamque verè fuit eo libello, quem in novos nescio quos Academi-
cos edidisti, ut si quid eâ de re non egregiè scriptum abs te dicam fuisse,
Academicis illis fortassè non invitis dicam, sed certè mentiar. Neque mo-
dò, quòd ultus tam fortiter fueris illatam Doctori Ecclesiae quinto injuriam
devinxisti me tibi; verùm etiam quòd impetum eorum scribendo reprèsseris,
qui tantum sibi sumerent facultatis, ut grammaticos, oratores, historicos,
geographos, chronologos, mathematicos, philosophos, juris Ecclesiastici, Ci-
vilisque consultos, theologos denique temporum superiorum desipuisse, deli-
rassè, dementes fuisse judicarent, atque ab se emendari, castigarique pos-
se



Criticon
+ Criticos, facultatis
iudicari.

se considerent. Quorum ego Criticorum, nam hoc se illi arroganter appellat nomine, [†] *xp̄it̄neio* omnis expertium temeritatem non tam argumentando, (cum nihil plus oderint, quam syllogismos) quam irridendo resistendam esse putaveram. Atque eorum quidem irridendorum plures esse causas videham, eamque non postremam fortasse, quod cum nasci haberi velint, non olfactum bonum, sed gustum quaerant. Scio illos his fuisse delectatos gustus boni vocabulis, propterea quod usurpata a Muratorio, Barbadinhoque fuissent, qui sibi persuaserant, fuisse genus humanum suam operam a barbarie liberatum.

At qui se criticos profitentur, non ita duci sapientium virorum auctoritate debent, ut, non quod sapientes recte dixerint, sed quidquid dixerint, id sibi adoptandum esse arbitrentur. Quamquam inter sapientes Barbadinum qui numerem, cujus libros latine scriptos, plenos esse video, non pugnantium rerum modo, sed stribiliginum etiam, & ineptiarum? Muratorium feci equidem semper, ob eruditionem, ut debui, plurimi; non autem ob ingentia volumina, in quibus praeter praefationes, adnotationesque latinas non latine scriptas, nihil fere est, quod non alienum esse videatur. Quid? si in Scriptorum rerum italicarum, in diplomatum, inscriptionumque delectu satis ostenderit, quam parum valeret criticae artis peritia? Nam falsa interdum confectatus est, & plura congescit, quae ad rem, institutumque suum non pertinerent. De Annalibus autem ab eo italicè perscriptis quid dicam? in quibus sermone vulgi, & more vocalium circulatorum, de rebus alioqui gravissimis non explicandae veritatis differitur, sed ostentandae suae in Pontifices Maximos malevolentiae causa? Sed modum faciam, ne sus Minervam.

Redeo ad Academicos illos novos. His, qui Muratoriis, Barbadinisque ducibus gloriarentur, etsi ridendo esse resistendum existimaram, sum tamen eo errore liberatus operam tuam, ut qui argumentis viceris, nullam re mygis comprimere eos potuisset, quam usdem armis, quibus sese imprudentes spoliavissent. Quare tibi, quod viceris, gratulor: quod autem eo me errore liberaris, habeo gratiam. Tibi autem, persuadeas vehementer velim, me esse ac fore perpetuo tuum, inque rebus omnibus satis esse conjunctioni nostrae. amorique facturum. Vale. *

*
Hae litterae, in quibus M. Machius diem adscribere praetermisit, redditae mihi sunt mens. April. an. 1763.